

MELITA THEOLOGICA

Vol. IX. No. 1.

January-June 1956.

De Evolutione Liturgica in Cultu SS. Cordis Jesu

Apud Nilles (1) *tredecim* habentur Missæ et *sex* Officia in honorem Sacratissimi Cordis Jesu conscripta. Duæ tantum sunt Missæ cum eorum Officio authenticæ, de quibus ac de Nova Liturgia agitur nostra inquisitio.

Pius IX, decreto suo diei 23 augusti 1856 festo SS. Cordis ad universam Ecclesiam extenso sub ritu duplici maiori, Missam "Miserebiter" ac Officium antiquum "Discite a me", a Clemente XIII iam approbata, confirmavit ac jussit in corpore Missalis ac Brevarii respective inseri, relinquens Officium "De Torrente" ac Missam "Egredimini" pro aliquibus locis, in appendice Missalis. Hoc Officium et Missa composita sunt, quia Missa "Miserebitur" eiusque Officium multis e clero non placebant.

Neque aliter se gessit Leo XIII. Quamquam festum ipsum ad ritum duplicem primæ classis an. 1889 evexit, tamen eandem facultatem reliquit pro aliquibus diæcesibus ac ordinibus religiosis.

Nova Missa "Cogitationes", cum suo proprio Officio "Latus eius", conscripta ac approbata est a Pio XI, anno 1929 (2a) de qua certo, imo quam maxime, nobis agendum est.

Diversæ hæc Missæ ac Officia authentica ad hoc tendunt, nempe ad devotionem erga Sacratissimum Cor Jesu magis magisque illustrandam ac fovendam. Qua in re, decursu temporis, detegitur evolutio quæ perfectis ad magis perfecta.

"Vix aliud magis conspicuum est quam TRIUMPHALIS PROGRESSUS cultus SS. Cordis Jesu", legitur in lectione quarta Officii SS. Cordis (2). Nil magis proprium! Ubi est progressus ibi est vita.

1 Nilles N. S.J., De Rationibus festorum SS. Cordis Jesu et Purissimi Cordis Mariæ, Ed. 3, vol. 2. Oeniponte, 1885.

2a Pius XI Pontifex Maximus SS. Cordis Jesu festum ad ritum duplicem primæ classis cum Octava evexit: rubricis ad simpliciore formam redigendis R.C.S. diei 23 martii 1955 dies octavæ suppressæ sunt, exceptis Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes. A.A.S. 47 (1955) 218-221.

2 A.A.S. 21 (1929) 44-56.

Dogma catholicum non est depositum fidei mortuum, uti volunt Protestantes, sed maxime vitale. Veritates nostræ dogmaticæ sunt "spiritus et vita". Substantia immutata, tendunt dogmata ad sese evolvendum semper sub influxu Spiritus Sancti ac auctoritate vigilanti Ecclesiæ. Approbatio Ecclesiæ est criterium ultimum ac definitivum extrinsecum ad veritates revelatas cognoscendas.

Quare cultus ac dogma sunt semper intime connexa. "Lex credendi legem statuat supplicandi", affirmat Pius XII (3), ac non secus, ne in errorem modernistarum incidatur, secundum quem Liturgia esset quasi quoddam experimentum veritatum credendarum. "Sacra Liturgia Catholicam fidem absolute suaque vi non designat neque constituit, sed potius, cum sit etiam veritatum celestium professio, quæ Supremo potest, non parvi quidem momenti, ad peculiare decernendum Christianæ doctrinæ subicitur, argumenta ac testimonia suppeditare tianæ doctrinæ caput" (4). Liturgia nil aliud est quam medium quo Ecclesia fidelibus transmittit sua dogmata. "Liturgia igitur omnis catholicam fidem continet, quatenus Ecclesiæ fidem publice testatur" (5). Propterea variatio accidentalis dogmatis producit novum agendi modum pietatis christianæ ac relativum, quod revera apparet in hac re de devotione erga SS. Cor Jesu.

Est factum ex historia clare comprobatum necnon ex psychologia hominis sponte derivatum, quod nil magis attraxit pietatem fidelium, omni tempore, quam Humanitas Christi Redemptoris. Interventu suo ac doctrina, antea cauta ac reservata, hodie authentica, explicita ac solemnitas, ecclesia non solum legitimat devotionem ac defendet ab adversariis, sed etiam suam facit ac, qua talem, insistit ut Pastores eam inculcent in sua quisque dioecesi.

In Ecclesia cultus exhibetur erga Deum Hominem sub diversis aspectibus. Objecta materialia cultus christologici sunt multa ac diversa. Distingui possunt in duo, nempe *mysteria ac facta historica vitæ* Christi hic in mundo, ut v. g. Incarnatio, Nativitas, Infantia, Passio, Mors etc.; et *partes integrales Corporis Christi Sanctissimi*, nempe Sanguis, Plagæ, Latus, Cor et sic alia. Hæ ultimæ recensitæ publico cultu sine interventu auctoritatis Ecclesiæ coli nequeunt. Privatim certe possunt. Sic accidit cultui Coris Christi, quod hodie sub auctoritate Ecclesiæ publice colitur.

In uso humano, *sensu proprio*, Cor est organum musculare in pectore animalis positum ad circulationem sanguinis efficiendam et ideo vitam sustinendam: *sensu metaphorico*, figurato, nempe partim eodem

partim diverso modo ab eo quod in rerum natura significat, sunt facultates affectivæ, intimi animi motus ac dotes quæ facilius cor impellunt ad affectiones, benevolentia, compassio, pietas aliaque.

In Scriptura autem vox "Cor" millies apparet eodem sensu adhibita, nempe anima *in genere*, sive in functionibus psychologicis, sive in facultatibus spiritualibus, sive in sensuum vita. Cor vocatur sedes sapientiæ, voluntatis, passionum, desideriorum ac conscientiæ. Analogice loquitur et de Corde Dei, e.g. "Tactus dolore cordis intrinsecus" (Gen, 6, 6). Jahve habet Cor. Unde triplex eruitur sensus possibilis "cordis". 1. *Cor physicum*, quod est organum propulsorium circulationis sanguinis. 2. *Cor metaphoricum*, utpote cor est symbolum amoris, affectionum humanorum. Sicut cor est principium vitæ physiciæ, ita amor est principium vitæ moralis. Nos utimur in vita quotidiana expressionibus, in quibus idea materialis cordis est totaliter ignota et terminus assumit sensum complete diversum a naturalibus. Ita v. g. cor nobile, cor benevolens, cor generosum et ita porro. Hic cor physicum nil est præter signum, nihilque aliud. 3. *Cor symbolicum*, quod supponit aliquam naturalem analogiam ad cor corporeum. In symbolo tria sunt distinguenda: objectum sensibile seu res signans, res signata atque fundamentum seu vinculum inter objectum sensibile ac rem significatam. Sic crux est res signans, et res signata esse potest dolor, quia nexum habet cum instrumento supplicii vel victoria, quia Christus moriens super crucem victoriam pertulit.

Ecclesia loquitur de Corde Christi humano modo. Quæ mens Ecclesiæ patescit ex analysi documentorum ipsius. Cor Christi est aliquid plus quam mere symbolum amoris.

In symbolo Cordis Christi delineando multi auctores loquuntur de Corde Christi historici quatenus scilicet Christus in hac vita nostra degebat, absolute ignorantes illum cor adhuc vivum ac palpitans nunc in caelo. Minime errant, tamen non debemus negligere hoc elementum. Hoc cor est nunc in caelo inflammans amore nostri.

De Doctrina Missarum ac Officiorum Antiquorum

Ecclesia, ab adversariis hujus devotionis acerrime accusata materialismi erga cultum Cordis carnei Jesu, ut hos reprobaret ac in recta via dirigeret, approbavit Missam "Miserebitur" (6) cum Officio proprio (7), quæ est maxime theologica, unice inculcans *objectum spiritali*.

6 Apud Nilles, o.c., 485-487.

7 Officium "Discite a me". Breviarium Romanum ex decreto Sacrosancti Concilii Tridentini restitutum, S. Pii V jussu editum, Clementis VIII et Urbani VIII auctoritate recognitum, pars aestiva, Ratisbonæ (Pustet) MDCCCLXIII. 307-317.

uale seu formale cultus, nempe AMOREM, nil affirmans de objecto materiali ac sensibili. Ob oculos posuit Ecclesia passionem Christi pro hominibus. Christus passus est pro nobis, quia nos in finem dilexit, uti in Graduale: "O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus". Imo verba Isaiaë Christo applicantur: "Ecce nos vidimus eum non habentem speciam neque decorem; aspectus ejus in eo non est". Et addit rationem, nempe quia "peccata nostra portavit, et pro nobis dolet; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, cujus livore sanati sumus".

Nobis persuasum est de beneficiis quæ caritas Christi operata est pro nobis: ideoque magna cum fiducia nos rogamus Deum Patrem in "oremus" ut, dum nos gloriamur in Sanctissimo Corde dilecti Filii, nobis concedat recolere hæc præcipua beneficia.

Ad hoc Ecclesia instituit hoc festum: quod maxime patet ex illo decreto Congregationis Rituum, 6 februarii 1766, approbato postea a Clemente XIII. Post centum annos continuæ controversiæ quid præcise colendum sit in cultu Cordis Jesu, Ecclesia publicum festum approbavit episcopis Poloniae subsignatis in Memorando. In quo Memorando affirmatur concessione celebrationis hujus Missæ ac Officii nil novi effici quam diffusionem cultus iam instituti, ac sub symbolo, nempe corde, memorari illum amorem divinum quo inductus Filius Unigenitus assumpsit naturam humanam ac sese subiecit voluntati Patris usque ad mortem, affirmavitque se velle dare nobis exemplum sui cordis tam mitis ac dulcis.

Clemens XIII idem Festum Cordis Jesu quibusdam permisit ut fideles sub SS. Cordis symbolo devotius ac ferventius recolerent, ejusdemque fructus uberius perci perent (8).

At maxime ac clarissime exprimitur hoc objectum in Invitatorio Matutini: "Christum pro nobis *passum*, venite adoremus". Christus amore nostri impulsus passus est, ut nos redimeret. Nos invenimus in Christo (affirmamus in lectionibus secundi nocturni) cor regis, fratris, amici benigni. Unde recte laeti esse debemus ac canamus non esse aliam nationem tam grandem, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deum nostrum.

Rex noster occisus est sicut ovis, quæ non aperuit os suum dum male tractabatur. Cuius historica demonstratio datur in Evangelio hujus diei, quam maxime proprio. Traditus est ad mortem ut nos vivificaret. In pericope e "Vita mystica" Sancti Bonaventuræ desumpta maxima cum dexteritate exprimitur cur Christus passus sit. Latus Christi est

8 Cf. Nilles, o.c., vol. I. 87-162, speciatim 152-156, passim.

perforatum, ut nobis pateat introitus. Cor Christi est vulneratum, “ut in illo et in eo, absolūti ab exterioribus habitare possimus. Vulneratum est, ut per visibile vulnus *amoris* invisibile videamus. Carnale vulnus, vulnus *spirituale* ostendit”. Quid magis clarum? Hæc pars et in Nova Liturgia adhibetur ad demonstrandum amorem Christi erga nos homines.

Sanctus Augustinus, cujus Homilia in tertio nocturno adscribitur, commentatur verba Evangelii et dicit recte affirmari latus Christi apertum esse ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde *Sacramenta* Ecclesiæ emanaverunt, sine quibus veram vitam nemo adipisci potest. Sanguis fusus est in remissionem peccatorum. Quod ostium S. Augustinus comparat cum ostio arcæ Noe — figura Ecclesiæ — qua intraverunt animalia in diluvio non peritura. “Misit me vivens Pater”, asseritur in responsorio huius lectionis, “et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, vivit propter me” — textus maxime aptus ad significandum hoc donum amoris Christi per excellentiam nempe Eucharistiæ, qua nobis datur vita salutis.

Similiter in lectione tertia S. Bonaventuræ Episcopi clare agitur de amore Christi, cujus latus non casu sed divina ordinatione est perforatum militum lancea, ut ex hoc efformaretur Ecclesia. Sanguine cum aqua solvitur pretium nostræ salutis, ac vis datur sacramentis ad vitam gratiæ conferendam.

In antiphona ad Magnificat clare describitur mors Christi. Eius non fregerunt cura cum jam mortuus esset, tamen unus militum lancea latus ejus aperuit. Cujus ratio propter quam Christus mortuus est exprimitur in antiphona ad Benedictus: “Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Livore ejus sanati sumus.”

Doctrina Ecclesiæ quam maxime exhibetur in hymnis adaptandis. In tribus Officii hymnis amor ac passio Christi clarissime exponuntur. In Hymno ad Matutinum nobis describitur quomodo peccata nostra ac mortale crimen direxerint hastam vibrantis militis ad latus Christi: Quo scisso Ecclesia nascitur. Hoc est ostium arcæ. Ex hoc gratia perennis cui septiformis fluvius.

Hymnus ad Laudes canit amorem Christi quæ induxit Eum ut vulneretur ictu patenti, ita ut possimus venerari vulnera amoris invisibilis. Propter quam caritatem Ipse passus est cruenta et mystica. Quis non redamet amantem? Quis non diligit redemptus? Et in isto Corde, quaerit auctor Hymni, quis non seligit æterna tabernacula?

Neque minus in Hymno ad Vesperas amor Christi erga nos extollitur. Hic amor coegit Christum ut sumeret corpus mortale, nempe ut

redderet quod Adam abstulisset. Ex latere Christi fluit gratia remissionis, unda fluente et sanguinis, ut nos e sordibus lavaret.

Notandum est quam sæpe nominetur latus Christi per totam hanc Liturgiam: quasi voluit inculcare Ecclesia extremitatem passionis Christi propter nos. Tamen non ignoratur factum quod ex hoc latere nascitur Ecclesia ac irrigatur gratiis per sacramenta. Dum in lectione Missæ ob nostros oculos ponit cantica redemptorum passione Christi, ex prophetia Isaïæ desumpta, in Præfatione (de Sancta Cruce) affirmatur salus hominis in ligno Crucis obtenta.

Quamquam per totam Missam ac Officium hujus festivitatis pervadet, imo prævalet, doctrina de objecto spirituali hujus nostri cultus, non desunt quædam indicia ad objectum materiale, licet ad pauca atque obscura reducantur. In Graduale, Postcommunione ac in prima antiphona ad Laudes asseritur Christus esse mitis et humilis Corde quem sequi debemus, ut adipiscamur requiem. Neque allusio ad consolationes deest, quamquam obscurissima. "Consolationes tuæ", dicitur in quarta antiphona ad Laudes, "ætificaverunt animam meam".

Missa "Egredimini" (9)

Missa "Miserebitur" approbata, adversarii devotionis nostræ statim crediderunt ac prædicaverunt Sanctam Sedem non approbare cultum Cordis Materialis. Attamen ne hanc falsam interpretationem sustinere videretur, die 21a januarii anno 1778 Pius VI approbavit Missam cum Officio, scilicet "Egredimini", in qua magis appareat cultus erga Cor Carneum Christi, Domini nostri, symbolum amoris ejus erga nos homines.

Cum Dehon (10) affirmare hanc Missam amore plenam esse compassionem ac dulcedine possumus. Ex ipso Officii initio huic Missæ correspondentis, nempe invitatorio, iam videtur fins Ecclesiæ in approbanda hac Missa cum Officio proprio. Dum in Invitatorio prioris Officii asseritur: "Christum pro nobis passum, venite adoremus", hic affirmatur: "Cor Jesu, *caritalis victimam*, venite adoremus".

Per totam hanc Liturgiam objectum materiale maxime extollitur. Christus est mitis et humilis Corde (Graduale), cuius Cor factum est tanquam cera liquescens in medio ventris eius (Tractatus post Septuagesimam).

Etiam in Oratione nos nil Jesum rogamus quam ut nos induat virtutibus Cordis eius ac effectibus eius inflammemur. Qui affectus in Secreta magis specificantur, nempe ille ignis, quem Dominus Noster

10 Cf. "Etude sur le Sacre Coeur de Jesus", Burges, 1922, II, 90.

Jesus Christus e penetralibus Cordis sui in terram misit et non voluit nisi ut vehementer accendatur.

Suavitas Cordis Christi ac misericordia extolluntur. In Communionem nos invitatur ut gustemus et accedamus ad Christum quoniam suavis est et in æternum misericordia eius. Christus ut homo habet cor carneum plenum amore, suavitate, misericordia erga nos omnes in hoc mundo degentes. Quod cor nunc adhuc vivum, palpitans, in cælo, maxima cum fiducia rogamus ut præbeat nobis suum fervorem, quo terrena despiciere ac cælestia amare discamus (Postcommunio).

Mens Ecclesiæ in hac Missa approbanda patet ex Lectione Epistolæ Sancti Pauli Apostoli ad Ephesios, quæ etiam in Nova Liturgia invenitur. Omnia hæc hysteria abscondita in Dei sapientia (11), hæc in-vestigabiles divitiæ Christi, hæc mutiformis Dei sapientia, tendunt ad Redemptorem. Omnia sunt, uti in compendio, ut sic dicam, in Corde Christi Divino, fonte benedictionis ac vitæ, caritatis ac justitiæ. Tantum "latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum" Dei scire possumus, quantum hanc devotionem erga Cor Christi colimus.

Præfatio de Nativitate Domini apta est ut Cor Carneum extollatur : in qua præfatione nobis repræsentatur humanitas Christi, per quam nos possumus in Deum mentem nostram elevare, nempe per visibilem Deum in invisibilem rapiamur.

Evangelium Cor Humanum Christi probat. Nos amat Christus non ut servos sed ut amicos, quia quid faciat Dominus, scimus. Nos optat ut nosmetipsos ad invicem amemus. Ipse promptus fuit ut daret suam vitam pro amicis suis, ut verus amicus noster humanus nobis cupit omnia quæ cor amici amico desiderare potest. Imo nobis dat consilium quomodo rogemus Patrem ut nobis omnia dentur — in nomine eius, nostri amici.

Doctrina Novæ Liturgiæ

Ante annum 1913 in nullo documento liturgico expressa ac clara inveniebatur idea reparationis. Imo ipsa Officia ac Missæ in usu usque ad 1929 sese coarctabant tantum ad indicium, in quinta lectione, apparitionis Jesu, qui pluries lamentabatur de humana ingratitude erga Cor Suum quæseivitque amorem ac reparationem. Etiam in Magnificat ac in Missa citabatur Psalmus 68, v.21 : "Improperium expectavit Cor meum et miseriam . . ." Editione huius Novæ Liturgiæ a Papa Pio XI magis magisque inculcatur natura et necessitas reparationis Cordis Jesu.

11 "Sacratissimi absconditi..... in Deo....."

Liturgia S. Cordis est adæquata probatio progressus ac evolutionis triumphalis ideæ reparationis. Hodie hanc ideam clare patet pertinere ad dogmata. Imo videtur theologia quam maxime sese inclinare ad eam considerandam expressionem adæquatam totius dogmatis catholici centalem: *Mysterium Hominum Redemptionis* (12).

Hic cultus erga S. Cor, hodie speciatim, habet evolutionem non tantum practicam atque asceticam, sed imo doctrinalem (13). Hæc devotio non tantum est magis comprehensa, in profunditate et extensione, sed etiam non pauci auctores iam loquuntur de "spiritualitate quadam" ac de "Theologia quadam" cultus S. Cordis.

Sicuti iam in initio huius devotionis, etiam hodie adest aliquatenus inclinatio popularis ad "materializandum" cultum, insistendo potius elemento devotionis sensibili. E contra theologi ac animæ mysticæ volunt "spiritualizare" cultum inculcando magis amore quam symbolo ad eum figurandum destinato (14).

Neque aliter accidit ad characteristicam huius devotionis, nempe ad reparationem. Dum quibusdam videtur parvi momenti, benigne tractanda, utpote res aliqua tristis, alii e contra, forsitan quodam excessu, maximi pendere putant. Utrique ignorant in devotione S. Cordis amorem tenere semper debere primum locum et ipsam reparationem debere habere sigillum amoris (15).

A vulnere lateris mystici medievals penetraverunt ad Cor, quod ipsi videbunt eodem vulnere perforatum: a vulnere lateris ad Cor vulneratum. Hoc fuit initium devotionis. Hodie plaga Cordis in seipsa consideratur.

Hic modus considerandi effecit ut Nova Liturgia maxime corresponderet desideriis Domini Nostri, scilicet in quantum clarum faceret amorem eius a nobis ignoratum ac nostram debitam reparationem. Novum Officium a Pio XI prescriptum ita est informatum ut comprehenderet omne quod Dominus Noster Jesus Christus in suis apparitionibus S. Margaritæ Mariæ Alacoque rogavit, nempe ut institueretur festum destinatum ad honorem SS. Cordis sui et repararetur negligentia, frigiditas ac offensa, quæ in Sacramento Eucharistiæ patitur a personis, quæ suo ministerio amore eius ardere debeant (16).

In ipsa Encyclica, "*Miserentissimus Redemptor*" (17), reparatio demonstratur debere semper habere primas potioresque partes in cultu

12 Cf. Agostini P., S.C.J., "*Il Cuore di Gesù*", Bologna, 1950, 185.

13 Cf. Garriguet, "*Le Cœur de Jésus*", Paris, 1920, 263-269.

14 Cf. Agostini, o.c., 66.

15 Ibidem.

16 Cf. Biasiotti Giov. Mons., "*L'ufficio liturgico del S. Cuore*", *Ephemerides Liturgicæ*, 43 (1929) 345-347, Roma.

17 A.A.S. 20 (1928) 165-178.

SS. Cordis exhibendo, uti patet ex ipso titulo: "De communi expiatione Sacratissimo Cordi Jesu debita". Sæpiissime Pontifex inculcat reparationem maximi habendam esse in cultu SS. Cordis.

Idem Pontifex in alia Encyclica (18) affirmat: "Necesse est . . . ut . . . vires nostras nos quoque in unum solidum agmen contra iniquas phalanges coniungendo, non minus Deo quam humano generi infensas". Interum iterumque adjungit necessitatem orationum ac satisfactionum exhibendarum SS. Cordis Jesu. Nil est pluris valoris quam inculcare fidelibus spiritum poenitentiae, qui est maxime necessarium nostris temporibus pro genere humano tantis calamitatibus afflicto.

Et noster R. Pontifex Pius XII in nuntio radiophonico (19) exhortatus est fideles totius universi ut sese adjungerent in uno agmine universali reparationis contra maximas iniquitates, quæ insidiantur adversum Christum ac eius Ecclesiam; in uno agmine universali ad consolandum Cordi Jesu Divino, practicando vitam christianam, zelum ad animas salvandas, amorem ardentem erga Jesum Redemptorem ac Regem. Omnes christiani debent debite honorare Christum quam maxime offensum.

Missa "Cogitationes" (20)

Missa "Cogitationes" considerari potest uti synopsis totius encyclicæ "Miserantissimus Redemptor", quæ has duas veritates fundamentales in cultu inculcat: sc. S. Cordis devotio est totius religionis summa, et festum S. Cordis est dies reparationis.

Iam ex ipso Introito mentio habetur de Redemptore, "ut eruat a morte animas eorum" ac de Eucharistia "ut alat eos in fame". Hæc duæ originem habuerunt in ipso Corde Divino. Quæ notio iterum affirmatur in ipso Offertorio, "consolantem me quæsi et non inveni" ac in tota epistola. Misericordiae Dei exhibenda est digna laus ac satisfactio hominum.

In Oratione memorantur thesauri infinitæ dilectionis, quos Deus largitus est super nos — creationem, providentiam, redemptionem aliaque — per Cor Filii peccatis nostris vulneratum. Postea rogamus Deum ut nos possimus respondere amore æquali, exhibendo officium dignæ satisfactionis nempe dignæ laudis reparationis ac consolationis. Eadem notio recurrit et in Secreta, "ut nostrum sacrificium sit ei acceptum ac expiatio nostrorum delictorum". Duo fructus, duo actus æqualiter necessarii affirmantur: amor (pietatis obsequium) ac reparatio (satis-

18 Enc. "Cor Christi Compulsi". A.A.S. 24 (1932) 183.

19 A.A.S. 38 (1946) 233-256, 259-260.

20 A.A.S. 21 (1929) 54-56.

factionis officium) uti in Encyclica intenditur. Amor ac reparatio exhibenda sunt Cordi Jesu, quod est compendium totius largitionis donorum, quæ Deus versat super nos.

Omnia tendunt ad Redemptorem : omnia sunt in Corde eius, dicitur in epistola quæ est eadem ac Missæ "Egredimini". Omnia, scilicet, et hæc mysteria "abscondita a sæculis" in sapientia Dei, et hæc in-"investigabilis divitiæ Christi" et hæc "multiformis sapientia Lei". S. Paulus deprecatus est ut Ephesini perfectam vitam agerent immensamque Christi caritatem cognoscerent ut possent cum sanctis comprehendere hoc mysterium, "quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas et profundum" huius mysterii ac particeps fierent caritatis, quæ superat quamcumque scientiam.

Mens Ecclesiæ patet in ipsa narratione historica Evangelii, quæ monstrat originem totius nostri cultus. Hoc Evangelium iam inveniebatur in Missa "Miserebitur" tamen hic adjunguntur duo versicula asserentia latus Christi apertum esse ac crura eius non fracta ut nos crederemus et ut impleretur Scriptura : "videbunt in quem transfixerunt". Prophetia pulchra, cuius interpretatio datur in prima lectione tertii nocturni Matutini a sancto Bonaventura, quatenus nos redempti erimus ab eo quem nos transfiximus. Nostra salus est in ipsa transfixione lateris Christi.

Ipsæ psalmus 68, in Offertorio citatus, iam reperiebatur in duabus missis antiquis — in Graduale Missæ "Egredimini" ac in Communionem Missæ "Miserabitur" — tamen cum quadam differentia. In illis dicitur "et qui consolaretur me quæsi et non inveni", hic tamen magis clare et apte ad consolationem exprimentam quam Christus quæsi, dicitur "consolantem me quæsi . . ."

Sed ipsa spontaneitas Christi ad descendendum has in terras ac sese sacrificandum in Cruce pendentem ut nos redimeret, quam maxime patet in ipso Offertorio tempore paschali dicendo : "Deus meus, volui et legem tuam in medio Cordis mei". Christus voluit præceptum Patris Aeterni sui, nempe redemptionem generis humani condignam, inscriptum in Corde suo.

Perforationi lateris Christi lancea militum in hac Nova Liturgia datur maximum momentum. Cur Christus vulneratus in Corde est? Præfatio dat nobis responsum : "ut funderet nobis torrentes miserationis et gratiæ". Est "arca legem continentis . . . gratiæ, veniæ et misericordiæ" (Laudes), "divinæ largitatis sacrarium" (Præfatio). Ergo divina providentia transfixus est lancea militis : ut "esset requies piis et pœnitentibus pateret refugium salutis". Terminus amoris Christi sumus nos : Cor Christi nunquam destitit flagrare amore nostri.

Ergo, percepta hac suavitate dulcissimi Cordis Jesu, nos a Christo petimus ut nobis præbeat divinum fervorem, quo despecta terrena, possimus "amare cælestia" (Postcommunio).

Officium (21)

Ex primis verbis ipsius Officii iam determinatum evadit objectum totius festi. Nil magis precisum quam pauca verba Invitatorii: "Cor Jesu amore nostri vulneratum, venite adoremus". Cor Jesu, sed Cor Jesu amore transfixum, amore vulneratum! En objectum directum ac immediatum nostri cultus: nempe Cor physicum (objectum materiale) hypostatice unitum cum persona Verbi, quod flagrat caritate (objectum formale) erga nos miseros "ut nos lavaret sordibus . . . percussum est lancea ac passum vulnera" (Hymnus Matutini); "Caritas Christi inducit eum esse vulneratum *ictu patenti*" (Hymnus ad Laudes); "Cor Filii Dei vulneratum est nostris peccatis" (Oratio).

Ex quibus omnibus patet terminus huius infiniti amoris. Christus sese obtulit propter nos homines, ad nos redimendos, ad abluendas sordes nostras sub hoc amoris symbolo passus est cruenta et mystica: canitur in Laudibus.

Secus ac in Officiis antiquis lectiones primi Nocturni huius Officii ex Prophetia Jeremiæ desumuntur, in quibus apte demonstratur festi spiritus — reparatio, qua indiget hodie hoc Cor pro nobis passum. Dominus Israël dicit se daturum eis cor ut sciant eum esse Deum ad quem in toto corde reverti debeant. Affirmat se conversurum esse tabernacula Jacob, civitatem ædificaturum iri, ac templum fundatum, e quibus egredietur laus. Dux eorum, ab eis producendus, ad Dominum accedet. Quis enim est, rogat Dominus, qui applicet cor suum ut appropinquet mihi? Dominus erit Deus universalis cognationibus Israël et feriet domui Israël ac domui Juda fœdus novum, nempe Ipse scribet legem suam in corde eorum et ipsi erunt ei populus eius. Nonne hic bene innuitur passio Christi, Ducis nostri, pro nobis, populo suo, ac reparatio, ex parte nostra, Christo danda caritate ac cognationibus nostris in Deum Redemptorem nostrum? "Cogitationes Cordis eius in generatione et generationem," aperitur Missa ac prima antiphona Matutini. "Ero Deus universis cognationibus Israël", affirmatur in tertia lectione.

Hic progressus ex objecto spirituali ad objectum materiale et spirituale simul totius mostræ devotionis sicuti ultimatin hæc specialis characteristica huius amoris scilicet amor reparationis, historice probatur in ipsis tribus lectionibus secundi nocturni; theologice autem ac mystice probatur in lectionibus tertij nocturni ex operibus S. Bonaventuræ, "De Ligno Vitæ" ac "De vita mystica".

S. Bonaventura sponte clamat: "quis illud Cor tam vulneratum non diligit? quis tam amantem non redamet? quis tam castum non amplectatur . . . oremusque ut cor nostrum, adhuc durum et impenitens, amoris sui vinculo constringere et jaculo vulnerare dignetur". Ad quid? Ut repararetur nostra ingratitude adversum eum qui fecit nobis tantum bonum.

Ex pluribus apparitionibus quas Jesus fecit Sanctæ Margaritæ M. Alacoque celeberrima est illa, "qua ei ante Eucharistiam oranti Jesus conspiciendum se dedit. Sacratissimum Cor ostendit et conquestus quod pro sua immensa caritate nihil nisi ingratorum hominum contumelias reciperet" (Lectio Va). Hæc nostra ingratitude inducit Eum ad precipiendum festum "quo Cor suum honore debito coletur, atque injuriæ sibi in Sacramento amoris a peccatoribus illatæ dignis expiarentur obsequiis". Ad hoc est institutum festum, feria sexta post octavam Corporis Christi: ut separentur peccata nostra, quæ duplicem malitiam continent respectu Christi: scilicet peccatum est negatio honoris Ei debiti utpote Redemptori ac est causa passionis crudelis Christi. Unde nostra reparatio debet esse honoris ac consolationis. "Secundum multitudinem dolorum meorum in Corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam": est sexta antiphone Matutini.

In secundo Responsorio Christus videtur conqueri se sustinuisse utique, si inimicus maledixisset Ei, sed ab eo pati qui iam vidit multas gratias, "simul mecum dulces cibos capiebas", arduum esse. Ipse promptus est ad nos reficiendos si veniamus ad eum cum onerati simus.

Hymni in hac Nova Liturgia adhibiti iam inveniebantur in Officio "Discite a me", attamen non sine quadam differentia notanda. Hæc differentia non est in eo quod hymni ad Vesperas et ad Matutinum transpositi sunt, sed ultima strophæ horum trium hymnorum differt totaliter ab ea in usu antiquo. Quæ differentia minime est sine ratione. Antea nominatur Filius simul cum aliis duabus Sanctissimæ Trinitatis personis et quidem eis invocatur Decus, Potestas, Gloria, Regnum, et opus Redemptionis tribuitur toti Trinitati. Nunc autem primo præcellit Jesus cum suo Corde, fons gratiæ, postea nominatur Tota Trinitas, utpote redemptio est actus Dei ad extra. In hac strophæ insinuari quasi videtur ea evolutio dogmatis ex doctrina Theocentrica in doctrinam Christocentricam, ex Reparatione ergo Theocentrica in reparationem Christocentricam. Antiquitus hæc devotio fuit potius Theocentrica. Per aliquot tempus evadit quoque Christocentrica. Hodie tamen potius dicenda est Christocentrica, tamen non sine quadam allusione Theocentrica.

Conclusio

Ex tota hac brevi expositione clare patet festum hoc de SS. Corde Jesu habere quoddam speciale, quo efficitur excellentius ceteris festis totius anni ecclesiastici. Præcellit non tantum omnibus aliis festis, sed etiam ipsis festis christologicis. Hoc festo nobis præsentatur fons totius gratiæ, non mere gratia quædam particularis. Nobis clarificatur principium ipsum mysteriorum mostræ Fidei, quæ omnia relationem dicunt ad Christum.

Omnes thesauri gratiarum, omnia prodigia amoris, omnia opera divina Redemptoris, omnia mysteria "abscondita a sæculis in Deo qui omnia creavit", omnes in-"invesigabiles divitiæ" Christi ac "multiformis sapientia Dei", quæ nos celebramus anno durante, sunt compendiata, ut sic dicam, in hoc unico festo S. Cordis Jesu. Cor Jesu est veluti compendium totius largitatis donorum, quæ Deus benigne super nos versat.

Hic est apex et quasi corona triumphalis totius anni cum nobis proferat occasionem celebrandi simul omnes solemnitates totius cycli liturgici, sicuti in unico puncto centrali quod omnia connectit, nempe amore e quo omnia derivantur (22).

Unde bene concludi potest cum Summo Pontifice Pio XI festum SS. Cordis Jesu esse *Summa Totius Religionis et Perfectioris Vitæ Formam*. "Inter cetera infinitæ Redemptoris nostri benignitatis documenta, illud potissimum elucet, quod defevescente christifidelium caritate ipsa Dei caritas ad honorandum peculiari cultu proposita est eiusque bonitatis divinæ late perfectæ sunt per eam religionis formam qua Sacratissimum Cor Jesu colitur, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi"

"In illo enim suspicatisimo signo atque in ea, quæ exinde consequitur, pietatis forma nonne totius religionis summa atque adeo perfectioris vitæ norma continetur, quippe quæ et ad Christum Dominum penitus cognoscendum mentes conducat expeditius et ad eundem vehementius diligendum pressiusque imitandum animos inflectat efficacius? (23)."

CARMELUS LIA.

22 Cf. Vermeersch S.J., "Pratique et doctrine de la devotion au S. Cœur", Tournai, Casterman, 1919, II, 89.

23 A.A.S. 20 (1928) 166-167.